

5. Filia Piratae

1 Rex quidam regnavit, in cuius imperio erat quidam iuvenis a piratis
2 captus, qui scripsit patri suo pro redemptione. Pater noluit eum redimere
3 sic, quod iuvenis multo tempore in carcere erat maceratus. Ille, qui eum in
4 vinculis habebat, quandam pulchram filiam ac oculis hominum
5 gratiosam genuerat, que nutrita in domo erat, quousque viginti annos in
6 etate sua compleverat, quae saepius incarceratum visitatum ivit ac
7 consolabatur. Sed ille in tantum desolatus erat, quod nullam
8 consolationem recipere poterat, sed suspiria et gemitus continue emittebat.

9 Accidit quodam die, quod, cum puella eum visitaret, ait iuvenis ei: "O
10 bona puella, utinam velles pro mea liberatione laborare!" Quae ait:
11 "Quomodo potero hoc attentare! Pater tuus, qui te genuit, non vult te
12 redimere, ego vero, cum sim tibi extranea, quomodo deberem hoc cogitare!
13 Et si te liberarem, offensionem patris mei incurrerem, quia tuam
14 redemptionem perderet pater meus. Verumtamen mihi unum concede, et
15 liberabo te." Ait ille: "O bona puella, pete a me, quid tibi placuerit! Si mihi
16 est possibile, ego concedam." At illa: "Nihil aliud peto pro tua liberatione,
17 nisi quod me in uxorem ducas tempore opportuno." Qui ait: "Hoc tibi
18 firmiter promitto."

19 Statim puella, patre ignorante, ipsum a vinculis liberavit et cum eo ad
20 patriam suam fugit. Cum vero ad patrem suum venisset, ait ei pater: "O
21 fili, de tuo adventu gaudeo. Sed dic mihi, qualis est ista puella, quam
22 tecum duxisti!" Ait ille: "Filia regis est, quam in uxorem habeo." Ait pater:
23 "Sub pena amissionis hereditatis tue nolo, ut eam in uxorem ducas." Ait
24 ille: "O pater, quid dicis! Plus ei teneor, quam tibi. Quando captus eram in
25 manu inimici et fortiter vinculatus, tibi pro mea redemptione scripsi, et
26 noluisti me redimere. Ipsa vero non tantum a carcere, sed a periculo
27 mortis me liberavit; ideo eam in uxorem ducere volo." Ait pater: "Fili,
28 probo tibi, quod non possis in eam confidere et per consequens nullo
29 modo in uxorem ducere. Patrem proprium decepit, quando, ipso
30 ignorante, te a carcere liberavit. Pro qua liberatione pater eius multa
31 perdidit, que pro tua redemptione habuisset. Ergo videtur quod tu non
32 possis in eam confidere et per consequens nullo modo in uxorem ducere.
33 Item alia ratio est. Ista licet te liberavit, hoc fuit causa libidinis, ut posset te
34 in virum habere, et ideo quia eius libido erat causa liberationis tue, non
35 mihi videtur quod uxor tua erit."

36 Puella audiens istas rationes ait: "Ad primam respondeo, quando dicis,
37 quod ego decepi patrem meum proprium, quod non est verum. Ille
38 decipitur, qui in aliquo bono deminuitur. Sed pater meus tam locuples est,
39 quod alicuius auxilio non indiget. Cum hoc perpendi, iuvenem istum a
40 carcere liberavi, ei si pater meus pro eo redemptionem accepisset, non
41 multum propter hoc ditior fuisset, et tu per redemptionem depauperatus
42 esses. Ergo in isto actu te salvavi, quod redemptionem non dedisti, et patri
43 meo nullam iniuriam feci. Ad aliam rationem, quando dicis, quod ego ex
44 libidine hoc feci, respondeo: hoc nullo modo potest fieri, quia libido aut est
45 propter pulchritudinem aut propter divitias aut propter fortitudinem. Sed
46 filius tuus nullum istorum habuit, quia pulchritudo eius per carcerem erat
47 annihilata; nec dives fuit, quia non habuit unde se ipsum redimeret; nec
48 fortis, quia fortitudinem perdidit per carceris macerationem. Ergo sola
49 pietas me movebat, quod ipsum liberavi.

50 Pater hoc audiens non potuit filium arguere ulterius. Filius ergo cum
51 magna sollemnitate eam in uxorem duxit et in pace vitam finivit.

273. Tres Filiae

52 Theodosius in civitate Romana regnavit prudens valde et potens; qui
53 tres filias pulchras habebat, dixitque filiae seniori: "Quantum diligis me?"
54 At illa: "Certe plus quam me ipsam." Ait ei pater: "Et te ad magnas divitias
55 promovebo." Statim ipsam dedit uni regi opulento et potenti in uxorem.

56 Post haec venit ad secundam filiam et ait ei: "Quantum diligis me?" At
57 illa: "Tantum sicut me ipsam." Imperator vero eam cuidam duci tradidit
58 in uxorem.

59 Et post haec venit ad tertiam filiam et ait ei: "Quantum me diligis?" At
60 illa: "Tantum sicut vales et non plus neque minus." Ait ei pater: "Ex quo ita
61 est, non ita opulenter eris maritata sicut et sorores tuae." Tradidit eam
62 cuidam comiti in uxorem.

63 Accidit cito post haec, quod imperator bellum contra regem Aegypti
64 habebat. Rex vero imperatorem de imperio fugabat, unde bonum refugium
65 habere non poterat. Scripsit litteras anulo suo signatas ad primam filiam
66 suam, quae dixit quod patrem suum plus quam se ipsam dilexit, ut ei
67 succurreret in sua necessitate, eo quod de imperio expulsus erat. Filia cum
68 has litteras eius legisset, viro suo regi casum primo narrabat. Ait rex:
69 "Bonum est ut succurramus ei in hac sua magna necessitate. Colligam
70 exercitum meum et cum toto posse meo adiuvabo eum." Ait illa: "Istud

71 non potest fieri sine magnis expensis. Sufficit, quod ei concedatis,
72 quamdiu est extra imperium suum, quinque milites, qui ei associantur." Et
73 sic factum est. Filia patri rescripsit, quod aliud auxilium ab ea habere non
74 posset nisi quinque milites de sumptibus regis in societate sua.

75 Imperator cum hoc audisset, contristatus est valde et infra se dicebat:
76 "Heu mihi, tota spes mea erat in seniore filia mea, eo quod dixit quod plus
77 me dilexit quam se ipsam, et propter hoc ad magnam dignitatem ipsam
78 promovi." Scripsit statim secundae filiae, quae dixit "Tantum te diligo
79 quantum me ipsam", quod succurreret ei in tanta necessitate. At illa cum
80 audisset, viro suo denunciabat et ipsi consiliavit, ut nihil aliud ei
81 concederet nisi victum et vestitum, quamdiu viveret, honeste pro tali rege,
82 et super hoc litteras patri suo rescripsit.

83 Imperator cum hoc audisset, contristatus est valde, dicens: "Deceptus
84 sum per duas filias. Iam temptabo tertiam, quae mihi dixit "Tantum te
85 diligo, quantum vales." Litteras scripsit ei, ut ei succurreret in tanta
86 necessitate, et quomodo sorores suae ei respondebant. Tertia filia cum
87 vidisset inopiam patris sui, ad virum suum dixit: "Domine mi reverende,
88 mihi succurre in hac necessitate! Iam pater meus expulsus est ab
89 hereditate sua." Ait ei vir eius: "Quid vis tu, ut ei faciam?" At illa:
90 "Exercitum colligas et ad debellandum inimicum suum pergas cum eo!"
91 Ait comes: "Voluntatem tuam adimplebo."

92 Statim collegit magnum exercitum et sumptibus suis propriis cum
93 imperatore perrexit ad bellum. Victoriā obtinuit et imperatorem in
94 imperio suo posuit. Tunc ait imperator: "Benedicta hora, in qua genui
95 filiam meam iuniorem. Ipsam minus aliis filiabus dilexi et mihi in magna
96 necessitate succurrit, et aliae filiae meae defecerunt, propter quod totum
97 imperium reliquero post decessum meum filiae meae iuniori." Et sic
98 factum est. Post decessum patris filia iunior regnavit et in pace vitam
99 finivit.

121. De gloria mundi et luxuria, quae multos decipit et ad interitum deducit

100 Olim erat quidam rex, qui habuit duos milites in una civitate; unus erat
101 senex, alter iuvenis. Senex erat dives et pulchram puellam propter eius
102 pulchritudinem in uxorem duxit. Iuvenis miles erat pauper et quandam
103 vetulam locupletem propter divitias accepit, quam miles non multum
104 dilexit.

105 Accidit semel, quod miles iuvenis per castrum senis militis ambularet
106 et uxor senis militis in quadam fenestra in solario sedebat et dulciter
107 cantabat. Iuvenis miles cum eam vidisset, captus est in amore eius et in
108 animo cogitabat: "Melior esset combinatio inter me et illam iuvenulam,
109 quam inter ipsam et virum suum, qui est homo senex et impotens, et quod
110 uxor mea esset uxor eius."

111 Et ab illo die incepit eam diligere et clenodia dare. Domina vero etiam
112 miro modo eum dilexit et, quando potuit, ad eum accessit, et omnibus
113 viribus nitebatur, si possibile esset, in virum accipere post mortem viri sui.

114 Erat autem ante fenestram castris senis militis arbor ficuum, in qua
115 omni nocte philomena residebat, quae dulciter cantabat, quod propter
116 cuius cantum domina singulis noctibus surrexit et ad fenestram perrexit,
117 et per magnum spatium ibidem expectabat, ut canticum philomenae
118 audiret. Cum hoc percepisset vir eius, quod singulis noctibus surgeret, ait
119 ei: "Carissima, qua de causa de lecto singulis noctibus surgis?" Quae
120 respondit: "Super arborem fici omni nocte residet philomena, quae tam
121 dulciter cantat, quod oportet me surgere et eam audire." Miles hoc audiens
122 de mane surrexit et cum arcu et sagitta ad arborem fici perrexit,
123 philomenam occidit et cor extraxit et uxori praesentavit. Domina videns
124 cor philomenae flevit amare dicens: "O bona philomena, fecisti, quod
125 debuisti. Ego sum causa mortis tuae."

126 Statim nuntium ad iuvenem militem misit, nuntiando ei crudelitatem
127 mariti, eo quod philomenam interfecisset. Miles hoc audiens commota
128 sunt omnia viscera eius, et ait in corde suo: "O si constaret isti crudeli,
129 quantus est amor inter me et suam uxorem, peius me tractaret."

130 Armavit igitur se duplici armatura et castrum intravit et senem
131 militem occidit. Post hoc cito moritur uxor sua, et ipse cum gaudio
132 uxorem senis militis occisi in matrimonium duxit, et ambo longo tempore
133 vixerunt et in pace vitam finierunt.